



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 33. Carolus Vicecomes variis mandatis instructus, ac Tridentum a Papa decretus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

eo quod hic jamjam Constantiæ fuisset discussus. Verum Quinqueecclesiensis Episcopus opposuit, quod multa post hujus Synodi decisionem ab hæreticis, cum hi ad objectiones illis propositas responderent circa hanc quæstionem fuissent innovata, ac proin consultum videretur, si rursus hoc argumentum pertractaretur, ut Ecclesiæ doctrina adhuc magis solide stabiliretur. Assensere etiam Galli, affirmantes, id ad Catholicos in fide firmandos plurimum conferre: verum Synodi Patres ad agendam hanc quæstionem potissimum ea ex ratione adigebantur, quod hi articuli a Carolo V. Cæsare ad Synodum sub Julio III. celebratam, ut Germanis satisfaceret, transmissi fuerint, & tunc illius Concilii Patres, ut discuterentur, consensissent: eapropter sancitum, ut hi quinque articuli, nullo excepto, examini subjicerentur.

## §. XXXIII.

*Carolus Vicecomes variis mandatis instructus, ac Tridentum a Papa decretus.*

*Pallav. l. 16.  
c. II. n. 9.  
Es sep.  
Lett. anecdot. ou mem.  
hist. du*

**H**is interea gestis Carolus Vicecomes Vintomeliensis Episcopus a summo Pontifice, cui sanguine junctus erat, Roma Tridentum tanquam Sedis Apostolicæ Nuntius, ac secretioris consilii Mini-

Minister ad Synodum ablegabatur, ut de omnibus, quæ gererentur, accuratam communicaret notitiam, spe facta, suæ fidelitatis merita Cardinalitiæ dignitatis præmio recompensatum iri. Is præprimis Guidobaldum Urbinatis Ducem, cujus filiam Fridericus Borromæus Cardinalis Borromæi frater conubio sibi fociaverat, invisere jubebatur, ut cum illo de trecentis aureorum millibus, quæ Rex Franciæ ad bellum contra Calvinistas eo validius gerendum petebat, ageret, simulque Prælati in Concilio magis conspicuis ea omnia manifestaret, quæ Pontifex calamo confidere nollet. Insuper datum ei erat negotium, ut utriusque partis, quarum una decisioni articuli de residentia favebat, altera autem adversabatur, consilia exploraret, atque illorum molimina everteret, hæc alterationes tolleret, Patrumque animos, diversasque opiniones, ac studia dignosceret, cunctaque sedulo discuteret, quæ magno huic negotio aut incremento, aut præjudicio fore censeret, ac denique ea de re Cardinali Borromæo Pontificis Nepoti exacte rationem redderet. Præterea eidem injunctum, ut præter ceteros duos Legatos præcipue Cardinalem Mantuanum omni obsequiorum genere veneraretur, arctius tamen Simonet-

Sæc. XVI.  
A.C. 1562.

*Nonce Vi-*  
*sconti au*  
*Conc. Trid.*  
*2. vol. Am-*  
*sterd. en*  
1719.

Sæcul. XVI. A.C. 1562. monettæ sese conjungeret, eoquod ille Aulæ secreta magis sibi perspecta haberet: ad hæc Vicecomes Csis, ac Simonettæ Cardinalibus significare jubebatur, quod summo Pontifici sua agendi ratione plene satisfacissent, libere autem Mantuano, & Seripando ea exponeret, quæ ipsis objectabantur; præcipue vero Altempio Pontificis consilium de mittendo in Gallias milite manifestaret, simulque hujus Cardinalis animum explorare teneretur, an ille copiarum administrationem tanquam Legatus suscipere vellet: ut autem hic Nuntius indolem illorum, quibuscum conferret, magis perspectam haberet, hinc Pius IV. in quodam scripto omnes recensabat Synodi Patres, qui Romanæ Curiaë præprimis favebant, eisque amplam præmii spem facere jubebatur Vicecomes, si in pio erga Ecclesiam obsequio constanter perseveraverint; cum illis vero, qui consilia Sacræ Sedi adversa molirentur, circumspicere ageret, eosque, si id prudentia dictaret, metu coerceret, ac vehementibus etiam verbis objurgaret: omnem tamen animi acerbitatem sedulo declinaret, quinimo per lenitatis viam utpote tutissimam eos ad obsequium revocaret, ac præteritæ offensæ oblivionem offerret. Itaque Vicecomes ineunte Mense Julio

Julio Tridentum delatus omnes ministerii sui partes integerrima fide explebat, prout ex ejus literis apparet, quæ cum magna verborum Majestate conscriptæ raram ingenii sui præstantiam, atque in rebus gerendis dexteritatem luculenter testantur.

## §. XXXIV.

*Cæsaris petita per suos Oratores  
Synodo proposita.*

Altera post nuperam Congregationem die septima ejusdem Mensis Cæsaris Oratores, cum articulum de comunione sub utraque specie proponi gauderent, spem concipiebant, fore, ut suæ Nationis petito satisfaceret, quapropter opportunam ipsis offerri occasionem censebant, ut articulos, quos petere jubebantur, proponere possent: igitur Papæ Legatos conveniunt, eisque scriptum, quod a Cæsare transmissum acceperant, tradunt. Hic libellus viginti postulata reformationem tangentia complectebatur, quorum primum erat: „Orandus in primis summus Pontifex, ut seipsum, & Romanam curiam reformari benigne patiatur. II. Numerus Cardinalium reducatur, ita ut illi tantum sint duodecim, aut saltem viginti quatuor unacum duobus autem supernumerariis viginti sex.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

Pallav. l. 17.  
s. 1. n. 6.  
Thuan. hist.  
l. 32. n. 1.  
Sarpus l. 6.  
p. 496. &  
497.